UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vsvardi Martyrologivm

Usuardus <Sangermanensis>

Lovanii, 1573

Capvt XIX. De libro defunctorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42790

Visual Library

fidem noſtram. Quantum autem hac in re ab hæreticis peccetur, ſatis ſuperque notum eſt. Dominus Deus per viſcera miſericordiæ ipſorum miſereatur: Et in nobis fidem noſtram augeat, vt indies magis & magis in Sanctorum martyrum gloria fidem noſtram veneremur. Habemus in hoc quantumcunque paruo Martyrologij opere, tot diuerſorum temporum & locorum exemplis conſtabilitam Catholicam doctrinam, de ſacrificio Miſſæ, de monachica religione, de virginitate, de Sanctorum inuocatione, de reliquiarum veneratione, & id genus pluribus articulis: vt non abs re dixerim in hoc opere paſſim nobis proponi, de prædictis articulis, Catholicæ Apoſtolicæque Eccleſiæ vniuerſitatem, Antiquitatem & Conſenſionem, contra partis corruptionem, nouitatis prophanitatem, & paucorum temeritatem.

CAPVT XIX.

De libro defunctorum.

POſt Martyrologij lectionem, legitur etiam nonnullis locis ex libro obituum, ſeu defunctorum, ſeu anniuerſariorum. Nonnulli eum dictione Latinogræca Mortilogium nominant, vt ſit alluſio ad Martyrologium, ſignificetque librum mortuorum. Eſt enim liber, qui continet anniuerſarios dies confratrum, & potiſſimum benefactorum. Exigit autem pietas, vt eorum ſaltem in anniuerſario die aliqua fiat commemoratio.

Meminit huius lectionis Radulphus Riuius de Canonum obſeruantia ſcribens. In officio, *inquit,* Capituli poſt primam, primò fit memoria Sanctorum in recitatione Martyrologij: ſecundò, memoria *Prop. 14*

defunctorum in anniuerſarijs recitandis, cum Mi-ſerere mei Deus, & collectis. *Porro non eſſe nouitios huiuſmodi anniuerſariorum libros, teſtis eſt Beda lib. 4. hiſtoriæ Anglorum cap. 14. vbi refert Oſualdi regis depoſitionis diem annotatam fuiſſe in codice defunctorum. quem etiam annalem vocat. Ab eo tamen tempore, occaſione apparitionis, quam Beda ibidem refert, plæriſque locis annuatim cœpit eiuſdem regis, ac militis Chriſti, natalitius dies, Miſſarum celebratione venerari. Vnde tunc eum transferre oportuit ex libro defunctorum, in librum Sanctorum. pridie Nonis Auguſti in Martyrologijs tranſlatus cernitur.*

CAPVT XX.

Cur Vſuardo adiectum ſit quinam Sanctorum hiſtorias & geſta conſcripſerint.

DIligenter autem in paſtorum aliorumque vtilitatem, annotare ſtudui, quidnam apud probatos auctores de Sanctorum vita & certamine ſcriptum habeatur. Ad quod faciendũ non tãtum conſului excuſas Sanctorum vitas & paßiones, ſed etiam manuſcripta aliquot Bibliothecarum & refectoriorum volumina. In quibus multas deprehendi Sanctorum vitas, grauiter conſcriptas, quæ nuſquam excuſæ habebantur, neque in octo quidem hiſtoriarum tomis R. Aloyſij Lipomani: plæræque verò nũc imprimuntur magna Eccleſiæ vtilitate in hiſtoriarum tomis eruditißimi & pientißimi patris D. Laurentij Surij. Nec tantum bibliothecas conſului. ſed ex Gregorio Turonenſi, ex ſancti Iſidori, & Sigeberti beatæ memoriæ ſacriſtæ Gemblacenſis,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN